



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...**

In Dominicas totius anni

**Schrötter, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1688**

Perillustri ac Reverendissimo Domino D. Zachariæ Ioanni Szolc Cathedralis  
Ecclesiæ Varmiensis Prælato Custodi, & Diœceseos ejusdem  
Administratori in Spiritualibus, Domino ac Patrono suo ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)



*Perillustri ac Reverendissimo Domino*  
**D. ZACHARIÆ IOANNI**  
**S Z O L C**

**Cathedralis Ecclesiæ Varmiensis Prælato**  
Custodi, & Dioceseos ejusdem Administratori  
in Spiritualibus, Domino ac Patrono suo  
Observandissimo.

**Q**uem humilem hæctenus tui Cultorem nunquam non exporrecta fronte, festivoque obtutu suscipere dignatus es; eundem impræsentiarum agri Dominici Colonum gratiosè admitte Perillustri ac Reverendissime Domine. Evangelicam sementem sterili quantumvis paginæ concreditam ad opimam messem nuspiam feliciter provehendam auguratus sum, quam ubi certo fœcunditatis omine Gentilitii tui Splendoris influxus in se derivasset. Orientem vix Lunam tuam Varmia adoraverat; dum novo ubertatis beneficio in Floridam abiit Insulam, tot cœlo transmittens coraucopias, quot in Vineâ, & agro Dominico, magnum hoc luminare ad maturitatem excoxit manipulos. Vernat etiamnum, quod sub Astro tam benigno adolevit, pulcherrimum religionis,  
\*  
ac



## DEDICATIO.

ac Iustitiæ florilegium ; nec aliam , nisi pietatis  
messes cœlo Prussia transcribit , quum Gentilitiis tuis  
Astris bono Ecclesiæ invigilantibus , sola vitiorum zizania  
sterilescunt. Ita sororia siderum patria cœpit Varmia au-  
dire , quod æmulas cœlo faces domi nutriat ; quæ suos  
terris cum largissimè influxus dispensent , ipsa frumentum  
Electorum fructu plus quam centuplici reportet.

Astrolabiis vestris hic toto cœlo exerratis Astronomi , in  
Luna mundum esse , hominesque in ea degere hallucinan-  
tes ; nisi vestra Theoremata Gentilitia Luna Reverendis-  
simæ Dominationis firmaveritis. Non enim hæc cornua  
explicat , ut feriat , sed aperit sinum , laxatque brachia , ut  
universam Ermelandiam complectatur. Laxat illis pri-  
mario , qui ad blandientis fortunæ radios , & fatuos hono-  
rum ignes , tanquam phœnomena infelicitatis aspernati  
ad caliginem adamatæ paupertatis sese receperunt. Et ea-  
propter crediderim Tuæ Lunæ unâ cum cruce bina foede-  
rata esse sidera , quod Ordines sub Christo Bajulante , &  
Crucifixo militantes potissimum , tanquam sidera suspici-  
as ; ab iisdemque Te ornari arbitreris , dum gratiosa in utro-  
que influis benevolentia. Erro sidus tuum in formam na-  
vigii composuisti , cuius alnus Crux sit , cuius Helena si-  
dera , nunquam non ob oculos posita , JESUS & MARIA ;  
quorum auspiciis longè securius , quam sub commentitio  
Castore & Polluce portum occupes æternitatis. Quo-  
modo enim secundissimis gratiarum Favoniis illam non  
provehat Archi-Thalassus orbis , cum suis nonnisi insigni-  
bus intueatur conspicuam ? Quomodo item prosperrimè  
non dirigat cursum illius stella maris , quam perinde ac  
Cynosuram



DEDICATIO.

Cynosuram respicit unicam, cujus pedibus Lunam tuam  
ceu cymbulam supplantasti, cujus vertici sidera tua inoco-  
lasti? Syrtes aut charybdes Argo illa reformidare nequit,  
quæ tam secundis provehitur sideribus.

nihilominus in vestram manibus pedibusque eo sen-  
tentiam Domini mei Astronomi, quod Pallida Luna pluat,  
Rubicunda flet, Alba serenet. Quum enim in pallorem  
Luna Varmiensis curis, laboribus, itineribus decoloratur,  
sudoribus perquam copiosis tanquam imbribus perplui-  
tur. Sibi deficit, ne muneri suo deficiat; mala sæpe va-  
letudine Principi assistit, ne minus exactè peractum munus  
displiceat. Rubicunda flat, quum zelo divini honoris suc-  
censa affatu veluti afflatu entheo proximum ad meliora  
promovere nititur. Profectò amplius satagit in amplifican-  
do Dei cultu, quam alii in bonis caducis coacervandis de-  
sudent. Alba serenat, quando caligine paupertatis obrutis  
verè argentea exoritur, serenitatemque indigentia ipsorum  
invehit.

At verò execror Grammaticos, quod nescio quam e-  
thymologia sideratum à Lunæ sidere nuncupent Lunaticum.  
Suspicerent illi utinam Gentilitiam tuam Lunam, & jam  
meliore Calepino Sidus Sapientia & Prudentia indigita-  
rent; non tam Phœben quam Phœbum humanae divinae-  
que sapientia splendidissimum proclamarent; nec aliud  
in binis sideribus tuis, præter Urim & Thumim, Doctri-  
nam & Veritatem admirarentur. His enim illustrius efful-  
ges quam olim summus Hebræorum Antistes in admirabili  
operosa vestis, gemmarumque cultu, dum ab omnibus in  
consiliis oculus, in decretis oraculum reputaris.



Verum Lunæ ingenium sidus tuum exiit Perillustris, ac Reverendissime Domine, dū citra vocabulū cœtera omnia cum sole obtinet communia, novo naturæ prodigio non mutuata luce, aut adscititiis fulgoribus, sed propria virtute emanatis, in plenilunio virtutis nunquam non emicat. Ex quo enim in Ceris tuis Gentilitiis illuxit, dedit agnata lucis suæ vicissitudinem; noctisq; excubias negligit; ubi vicaria Eminentissimi Principis potestate, ita diem in patria Orthodoxum propagat; ne in splendoribus Sanctorum ullum unquam occasum prospiciat.

Ista ego Prodroma ad te Perillustris ac Reverendissime Domine sidera secutus; amplitudinis, ac benevolentia: tuæ atria ingredior; ut dicata honori tuo Exedra ecclesiastica lucem, immortalitatemque à Patroni sidere recipiat, & pro patrocinio unā eandem rependat. Obscurus enim voluminis hujus stilus, dum à serenissima sideris tui luce claritatem mutuat, nusquam elucebit, quin eandem in Patronum sit reverberaturus. Ubi ubi hæc Exedra mea collocabitur, ibidem illi incumbes; & quandiu superstitem esse contigerit, tandiu perennabis in eadem, pluribus in locis, terrisque replicatus, & mori nescius. Quocirca Perillustris, ac Reverendissime Domine tenuitati meæ auspiciatissimum Lunæ Tuæ influxum dignanter impertire, de cujus plenitudine ut omnes accipiant, certatim confluent. Tum verò ubertim me accepisse existimabo, dum me, fratresque meos in numero servorum tuorum recensere dignaberis, cujus ego non tam calamo, quam affectu me profiteor devotissimum. Brunbergæ 1. Decemb. 1687.

Reverendissimæ Dominationis Vestræ

Deditissimus

IOANNES SCHRÖTTER S.I.

INDEX